

solatio, tali praesertim civi et viro, sed tamen necessaria: nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidit universis. Quae vis insit in his paucis verbis (plura enim committenda epistolae non erant) si attendes, quod facis, profecto etiam sine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod speres: nihil quod aut hoc, aut aliquo reipublicae statu timeas: omnia si interierint, cum superstitem te esse reipublicae, ne, si liceat, quidem velis, ferendam esse fortunam, praesertim quae absit a culpa. Sed haec hactenus. Tu velim scribas ad me quid agas, et ubi futurus sis, ut, aut quo scribam, aut quo veniam, scire possim. Vale.

XXIV. M. T. C. A. TORQUATO S. D.

«Brevi ante exitum belli Hispaniensis, quem instare videt, et bellum non diuturnum inde auguratur, solatium, qualecunque potest in re trepida, adhibet: et studium ac diligentiam suam pollicetur.»

Novi, quod ad te scriberem, nihil erat: et tamen si quid esset, sciebam, te a tuis certiore fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum conjectura possis propius accedere, cum res est ejusmodi, cujus exitus provideri possit. Nunc tantum videmur intelligere non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus. Equidem cum haec scribebam, aliquid jam actum putabam: non quo, sed quod difficilis erat conjectura. Nam cum omnis belli Mars communis, et cum semper incerti exitus proeliorum sunt; tum hoc tempore ita magnae utrimque copiae, ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, ut uterumque vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur, etiamsi inter caussas armorum aliquantum intersit, tamen inter victorias non multum interfuturum. Alteros propemodum jam sumus experti: de altero nemo est, quin